Regel, Carl

PA 6825
.R4
Copy 1

QUAESTIONUM VERGILIANARUM CRITICARUM

SPECIMEN.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

AUCTORITATE

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

IN

ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

CAPESSENDOS

SCRIPSIT

CAROLUS REGEL.

CELLIS

EX OFFICINA SCHWEIGER ET PICK.

MDCCCLXVI.

Tertu.

PA6825
.R4

I.

De Medea centone Vergiliano.

(Anthol. Burm. I, 178.)

Centonibus tractandis quicunque se profitetur operam dedisse, eum paene oportet excusare opus susceptum: tam enim insulsum et ineptum hoc carminum genus esse videtur, ut indignum putandum sit, in quo quis studium collocet. Neque haec, de qua scripturus sum, Medea maioris cuiusdam, qua ceteros eiusmodi centones superet, elegantiae habet commendationem. Alia autem res ut illam tractare animum inducerem me commovit. Hoc enim carmen quoniam et centonum qui nobis innotuerunt antiquissimum et in numero habendum est testimoniorum de Vergili verbis antiquissimorum, omnibus codicibus vetustius: ideo operae pretium esse mihi videbatur, id quod adhuc neglectum erat, perquirere, num ex hoc centone aliquid elici posset si non ad emendandum textum, qui dicitur, Vergilianum, tamen ad eius historiam accuratius cognoscendam.

Quod autem hunc centonem codicibus antiquissimis vetustiorem esse dixi (h. e. centonem compositum esse priusquam codices nostri Vergiliani scripti essent), quamquam in codice Salmasiano *) ne nomen quidem auctoris extat, tamen id homines docti coniectura assecuti sunt. Quum enim Tertullianus de praescr. haeret. c. 39 haec tradat: „vides hodie ex Virgilio fabulam in totum aliam componi, materia secundum versus, versibus secundum materiam concinnatis. Denique Hosidius Geta **) Medeam tragoediam ex Virgilio plenissime exsuxit“: homines docti hanc Medeam, quae in codice Salmasiano invenitur, illam Medeam quam Tertullianus sibi notam fuisse dicit, revera esse statuerunt. Et recte mea quidem sententia. Nam eandem rem tam ineptam plus semel susceptam esse vix est credibile. Plura autem aut de carminis auctore aut de tempore, quo cento scriptus sit, supersedere possumus quaerere. Cf. Burmann. ad Anthol. I, p. 149 sq. Meyer, Anthol. I, p. XXVI, et annotatt. p. 98.

*) In eo vetere libro (Bibl. Paris. cod. lat. no. 10318) f. 26—43 hic cento legitur.

**) sic apud Tertullianum scribendum esse videtur.

Milberg, memorabilia Vergiliana, Misenae 1857, p. 7. Recte autem Burmannus ex voce „hodie“ concludit, huius centonis auctorem aequalem fuisse Tertulliano; neque bene facere, qui Hosidium Getam intelligant illum, qui Claudio regnante vixerit, a Dione commemoratum. Quod denique fuerunt, qui Ovidii hanc esse Medeam putarent, id inde factum esse, quod carmen centonarium non vidissent, idem ostendit. — Hoc quidem si non certum, attamen admodum verisimile est, hanc Medeam Tertulliani aetate (sub finem alterius p. Chr. saeculi) compositam esse. Priusquam autem ad ipsam rem propositam accedamus, de ratione centonis pauca praemittere liceat. Atque ex versibus Vergilianis Hosidius (hoc enim nomine iam licebit centonis auctorem nominare) quum tragoediam Medeam conflaret, in argumenti dispositione secutus esse videtur Senecam seu quicunque Medeam illam scripsit Senecae vulgo tributam. Namque ut apud Senecam, ita in hoc carmine Medea exorditur omnes deos deasque obtestans et obsecrans, deinde chori sequitur carmen. Primam actus secundi scenam, qua Seneca Medeam et nutricem colloquentes facit, Hosidius omisit, alteram, qua inter Creontem et Medeam diverbium continetur, cum altero chori carmine recepit. Tum actus tertius fabulae Senecae eodem modo compositus, quo centonis versus 148—311 *): primum enim in scenam prodeunt nutrix et Medea, deinde Iason et Medea (parvi hoc momenti est, quod in centone etiam satelles quidam pauca verba facit); postremo chori carmen additur. Quae sequuntur inde a versu 312 quamquam non prorsus congruunt cum Senecae actu IV et V, tamen ita comparata sunt, ut non minus quam reliqua inde desumpta esse appareat. Quum enim Hosidius nuntium Creonti narrantem fecerit, quae Medeam agere viderit, sacra illam funesta parantem: apud Senecam vs. 670—738 similia nutrix narrat. Deinde quod in centone Absyrthi umbra Medeae apparet, hoc desumptum ex Senecae vs. 959 sq., ubi illa fratris corpus misere dilaceratum sibi cernere videtur. In narratione nuntii de interitu Creusae Euripidem potius imitatus esse Hosidius videtur. Exordium denique simile apud Hosidium et Senecam et Euripidem.

His expositis si iam quaerimus, quo modo Hosidius in conglutinandis versibus Vergilianis versatus sit, hanc rem paucis absolvere licebit. Ac primum in diverbiis hexametris usus est, ita tamen, ut plerumque duo hemistichia ex diversis Vergili locis petita coniungeret, nonnumquam integros versus in suum usum converteret. Duos versus qui apud Vergilium sese excipiunt, nullo alio versu interposito semel tantum (vs. 379 sq. = Aen. IV, 638 sq.) carmini suo inseruit. Raro singula tantum verba ex Vergilio desumpsit, quod ubi fecit, ea in eadem versus sede collocavit: vs. 52 (ubi cf. Burm.) 243, ubi „possem“ ex Aen. XII, 880 (vel X, 616). Nam fere semper ea, quae ex Vergilio petivit, eadem, qua apud Vergilium, sede versus posuit; exceptis his tantum locis: vs. 353 „namque potes“ (Aen. VI, 366) 355 „horrendum stridens“ (Aen. IX, 632) 455 „haec via sola fuit“ (X, 879) 164 „cara mihi nutrix“ (Aen. IV, 634) adde vs. 363. 365. Singulari denique ratione compositus versus 322, cuius prima verba „sed quid ego“ et ultimum „revolvo“ ex Aen. II, 101, media autem „ambages et iussa exorsa“ ex Georg. II, 46 (ubi tamen „longa exorsa“) desumpta sunt. Nonnumquam praeterea ut apud ipsum Vergilium dimidiati inveniuntur versus (254. 335. 348)

*) versuum numeros affero secundum editionem Burm.

Chori versus (quos Bernhardy, röm. Literaturg. p. 335 „eingelegte lyrische Partieen“ vocat) iam Schraderus monuerat nihil aliud esse quam hemistichia, quae alteram versuum Vergilianorum partem efficerent, solum vs. 295 (ex Aen. IV, 472) e prima sede desumptum. Quibus hoc addo, quod etiam versus 42 prior hexametri pars est. Ex variis locis haec tantum hemistichia conflata sunt: 299 (Aen. IV, 301 et 302), 306 (ex G. IV, 511 et 514).

Ceterum Hosidium saepe satis negligenter in opere suo versatum esse, vel inde intelligitur, quod non raro versus iusto vel longiores vel breviores inveniuntur (qua de re infra accuratius agetur). Sententiam autem saepe ineptam esse non est cur miremur; neque huius rei exempla afferri opus esse videtur.

Ac de centone ipso haec praemisisse sufficiat. Si iam quaerere conamur, num ex centone cognosci possit, qui textus Vergiliani fuerit status extremo saeculo secundo, et quae ratio intercedat inter exemplar, quo Hosidius usus sit, et codices, qui adhuc servati sunt antiquissimi: cavendum est, ne quae librarii peccaverunt aut Hosidius ipse mutavit pro lectionibus antiquis habeamus.

Ut vero rem recte instituamus, ante omnia quum opus sit, ut, quid quoque loco Hosidius legerit, sciamus, multum interest codicis illius Salmasiani (cuius Leidensis nil est nisi ἀπόγραφον) lectiones accurate cognitas habere. Quod ut mihi contingeret, factum est benignitate hominum doctorum, quibus hoc loco gratias ago quam maximas. Imprimis Sauppio, praeceptori summe reverendo, insigni benevolentia me obstrictum et obligatum profiteor, qui, qua est humanitate, virum doctissimum Egger per literas rogavit, ut codicem illum bibliothecae Parisinae in meum usum denuo conferendum curaret. Ille autem benigne hoc negotio suscepto facile a viro harum rerum peritissimo, Dr. Mabille impetravit, ut collationem institueret accuratissimam mihique utendam concederet.

Quae autem hic vir doctus notavit, quum plerumque cum eis quae Burmannus affert congruant, nonnulla tamen discrepant. Ac primum quidem his locis quae Burmannus se invenisse testatur, ea Mabille non annotavit: vs. 15 stridit (pro stridet). vs. 23: cunctantes (pro cunctantem) vs. 200 cernis (pro nescis) 234 visus (pro visu) 260 viderem (pro videres) 334 veūi (pro numen) 415 deponeret (pro inponeret) 457: bella reparas. Ex eis deinde, quae Mabille ex codice Salmasiano aliter atque Burm. notavit, ea afferam quae maioris momenti sunt. Neque enim opus esse videtur omnes locos enumerare, quibus **e** et **ae**, **v** et **b** prave commutantur, **h** non recte vel additur vel omittitur, **i** pro **y**, **o** pro **u** positum est, simil. Haec autem digniora, quorum mentio fiat: versu 247 Burmannus quum „querellis“ extare dicat, Mabille „querelis“ legi testatur. 318 Burm.: si memore; Mab.: si merore. vs. 81 Burm.: desaevit hyems tem miserere; Mab.: desevit tẽ miserere. — Praeterea haec secundum Mabille in Salm. inveniuntur: vs. 166: suadit, ubi Burmannus „suasit“ edidit, sed ex Verg. Aen. I, 306 „suadet“ scribendum esse videmus. 193: stringet (B. stinget) 139: era (B.: aera) 234: ulli, ut apud Vergilium quoque, Aen. III, 621; Burm.: ullis. 235: nostra. 243: Creusum. 449 et 452: pinnis. 461: aut metu aut.

Nonnullis autem locis, quibus Burm. alias codicis lectiones affert atque Mabille, ille ita erravisse vid[illegible] ut quae ex Salm. et Leidensi annotaverat, confunderet. Sic quod in codice Leidensi extare dixit vs. 394: si concesso peto si paenas oro reposco, id in Salm. legi Mab.

testatur (in Salm. secundum Burm.: si concessa peto paena soro reposco). Neque aliter quod Burm. ex Leidensi vs. 396 affert „tristicia fata“ in Salmasiano legisse videtur, in quo Mabille extare dicit „tristicia facta“. Adde vs. 167, ubi „voces“ Burm. ex Leidensi, Mabille ex Salm. annotavit; 385, ubi „adesset“ secundum Burm. in Leid., secundum Mabille in Salm. invenitur. Neque aliter res habet vs. 249, deinde — ut mihi videtur — vs. 95, ubi Burm. ex Salm. affert: quas a te quaratis, ex Leid.: quasateque rates, Mab. „quasate“ tantum notavit; vs. 151, ubi Burm. se in Salm. invenisse dicit: me me ignominia, in Leid. me me in omnia, M. ex Salm. nil nisi „me me“ notavit. Vs. 166 Burm.: „haec gener atque socor in Leid., in Salm.: atque soror.“ Mab. tacet. Vs. 210 „per ego has lacrimas“ ex Leid. affert Burm., Mabille quum nullam lectionis varietatem notaverit, sic in Salm. extare statuendum, in quo secundum Burmannum: per ego te has lacrimas.

Quoniam autem multa in codice Salmasiano non recte scripta sunt, his vitiis ante omnia cento Hosidianus liberandus est. Quae tamen facile ex Vergilio emendari potuisse patet; et id plurimis locis iam factum a Scriverio (qui centonis versus 134 edidit), Burmanno, praeterea a Schradero, Oudendorpio, Medenbachio Wakker (amoenitates literariae, p. 158—160), Meyero. Accuratissime vero quum hac in re versatus sit Burmannus, minime opus est, quae ille invenit et emendavit, hic denuo proferre. Ea tantum praeterire non possum, in quibus aut cum Burmanno non consentio, aut hominum doctorum sententiae discrepant.

Unum vitiorum genus iam supra dixi saepe inveniri, versus iusto vel longiores vel breviores. Quod librariorum negligentia interdum ortum esse, vs. 22 (Aen. VI, 878. XII, 63) facile intelligitur. Hic enim quum verba „et haec“ neque apud Vergilium inveniantur et metrum turbent, recte omittuntur; sunt autem prave repetita ex versu 21: peteret haec pro virginate rep. — Sed ceteris locis plerisque quum verba centonis congruant cum Vergilianis, recte videtur Burm. ad vs. 93 statuere, illud vitium saepe deberi ipsius Hosidii negligentiae (cf. vs. 6. 21. 93. 172. 226. 337. 386. 442. 446. — 64. 65. 83. 269. 313. 315. 377. 395. 435.). Quare nescio an multis locis, ubi Burm. aliique metro succurrere studuerunt, versus illi longiores brevioresve mutandi non sint. Quamquam nonnullos facile emendari posse concedo, praesertim si versum breviorem ex ipso Vergilio supplere liceat. (Vs. 87. 412 poëta fortasse admisit hiatum insolentiorem, et vs. 54, 243 vs. 211 sq. hemistichiis transpositis metrum restitui Burm. intellexit.)

Quum autem de centone emendando agatur, cavendum est, ne nimis offendamus in sententiis parum aptis ideoque verba mutari velimus. Quam enim inepte saepe versus Vergiliani positi sint, id verbi gratia ex vs. 202 (Aen. II, 678) cernitur, ubi Medea de se dicit: cui pater et coniunx quondam tua dicta relinquor? Itaque satis habere debemus id effecisse, ut centonis versus cum Vergilianis congruant nec prorsus destituti sint tolerabili quadam sententia. Quae igitur mihi post Burmanni aliorumque operam huic cen[illegible]i navatam addenda videbantur, paucis indicabo.

Vs. 6. „aut quicunque oculis haec aspicis aequis“ (Aen. IX, 109) Burm. rectene vocem aut delerit dubito.

Vs. 18. oblitusve suae est, quod Klotzius defendit, mihi videtur errore librariorum ortum; recte Burm. et Meyerus ex Aen. III, 629 sui scripserunt.

Vs. 21. haec a Burmanno eiectum retineri malim. Post vs. 40 aliquid intercidisse satis illud quidem verisimile; sed quid ex Vergilio addendum sit, nihil attinet quaerere (Burmanno auctore Meyerus inseruit ex Aen. VII, 111: medioque ex hoste recepit).

Vs. 64 et 65 iusto breviores Oudendorpius insertis vocibus ab locis Vergilianis alienis emendare conatus est; sed vide quae hac de re supra diximus.

Vs. 70: ne pete conubiis natam. Sic Salm. et sic Verg. Aen. VII, 96. Medenbachius Wakker, quem Meyerus secutus est. natum scribi vult. „Verba", inquit, „sunt Medeae ad Creontem monentis, ne sineret Creusam Iasoni in matrimonium venire." Mihi autem videtur „natam" servandum esse. Nam verbum „pete" Hosidius posuit ea significatione, ut sit fere idem, quod „aggredere". Indicat enim Medea, nuptias illas exitio fore Creusae (cf. vs. 71 „miserere tuorum").

Vs. 81. In corrupta Salm. lectione „dum pelago desevit tẽ, idem latet, quod Aen. IV, 52 extat: desaevit hiems. In verbis enim „desaevit hiems miserere" facile vides hoc vitium oriri potuisse; nec probabile, quod Mabille coniecit, „tempus".

Vs. 83. Burm. et post gessimus addidit.

Vs. 114 (Aen. IV, 58) „Foeboque". Salm. In editione Meyeri particula que prave omissa est. Post versum 130 Burmannus Scriverium secutus asteriscis positis sibi indicavit nonnulla videri intercidisse. Sed omnia recte procedunt. Malum enim nuptiarum eventum chorus ominatur, ut vesania ei videatur laetitia civium; deinde (vs. 131 sqq.) exempla eorum addit, qui maiora conati audaciae poenas dederint acerbissimas, Marsyae, Icari, Penthei. Ceterum Oudendorpius, vs. 134 „ramo frondente pependit" Marsyae poenam describi quum eum fugeret, hunc versum post vs. 141 poni sine iusta causa volebat.

Vs. 166. ex Verg. Aen. VII, 317 hac scribendum esse Medenb. Wakk. vidit. In eodem autem versu pro „suasit" ex Aen. I, 357, quoniam Salm. „suadit" praebet, „suadet" scribendum esse supra dixi.

vs. 191. in Salm.: Media fert tristis sucos nigrisque infecte venenis.

Burmannus „nigrisque" quod apud Vergilium non invenitur, eiecit, Medenb. Wakk. et Meyerus „Media"; quae ratio, si sententiam respicimus, praeferenda esse videtur.

Vs. 196: eveniunt. tante me si te ceperunt taedia laudis.

Sic Salm. Quod hunc in modum Burm. et Meyerus mutaverunt:

eveniunt. si te etc.

Sed non dubito, quin sic potius scribendum sit:

eveniunt.
tanta meae si te etc. (Georg. IV, 332).

Etiam vs. 254 versus dimidiatus in cod. Salm. coniunctus est cum proximo versu.

vs. 210. „per ego has lacrimas." ex Aen. IV, 314, non, ut Burm. putat, ex XII, 56.

vs. 209. Burmannus edidit ex III, 711: nequidquam erepte periclis. Recte, quamquam Meyerus cum Schradero ex Salm. revocandum putavit „erepta".

vs. 216. dum rauca adsiduo longe sale saxa sonabant.

Sic Burmannus ex Aen. V, 866; unde mihi etiam „tum“ scribendum videtur.

vs. 217. Corrupte in Salm.: infixure mari. Quod Burmannus mutavit in „incubuere mari“ (Aen. I, 84). Sed quum ita subiectum verbi „incubuere“ desideraret, etiam versum proximum mutari (ut pro „ventos“ scriberetur „venti“) aut totum versum inseri voluit. Minime. Vera enim lectio petenda ex Aen. V, 193: Ionioque mari. Vide, quam praeclare iam omnia coniungantur inde a vs. 214:

Namque aliud quid sit, quod iam implorare queamus
Ipse mihi nuper Libycis tu testis in undis,
(Tum rauca adsiduo longe sale saxa sonabant)
Ionioque mari tantis surgentibus undis:
Luctantes ventos tempestatesque sonoras
Compressi et rabiem tantam caelique marisque.

Vs. 224 sqq. Burmanno sic legenda videntur:

Tempore quo primum fortes ad aratra iuvencos
Seminaque et tauros spirantis naribus ignem
Obieci, unde satis immanis dentibus hydri
Explicuit legio.

Facile autem perspicitur, sic vs. 225 (ex G. II, 140) sententia sana carere. Atque quum in Salm. mendose scriptum sit: „semine et eterios“, non dubium, quin ex Aen. VII, 281 scribendum sit: semine ab aetherio. Deinde vs. 226 metrum turbatum Burmannus inserta voce „unde“ sanare conatus est. At verbum „obieci“ quum omnino ineptum sit, mihi persuasum est ortum esse ex versus 221 initio „obiecit caput“. Desideratur autem verbum, quale est „devici, oppressi.“

Vs. 233. „auro ingens coluber servabat in arbore ramos.“ Sic Salm. Burm. Meyer. Mihi autem videtur retinendum, quod Aen. VII, 352 a Vergilio positum est „aurum“ (vitium enim ortum ex scriptura „auromingens“), ut utrumque verbum, et „aurum“ et „ramos“, pendeat a „servabat“ (cf. 323 „in medioque focos nocturnas inchoat aras“).

Vs. 250 „heu tot incassum“ corrupte in Salm. Aen. VII, 421: „Turne, tot incassum“. Pro „Turne“ aliud vocabulum ponendum erat Hosidio: „heu“ autem metri causa ferri nequit.

Post versum 255 (G. II, 140) lacunam esse etsi recte vidit Burmannus, tamen nolim addi versum G. II, 141, praesertim quum sequatur vs. G. II, 142. Neque enim Hosidius versus solet coniungere qui apud Vergilium quoque coniunguntur; qua de re iam supra dictum.

Vs. 269: quid petis causas et inrida (i. e. inrita) iurgia iactas? Salm. Burm. scribi vult vel:

quidve petis causas, quidve inrita iurg. i.? vel secundum Aen. VIII, 395:

quid causas petis ex alto, quid iurgia i.? vel cum Oudendorpio:

quid petis aut causas aut inr. iurgia iactas? Fortasse tamen praestat verbis Vergilianis non mutatis scribi: quid causas petis ex alto? (Aen. VIII, 395; cf. huius Medeae vs. 87) inrita iurgia iactas! (Aen. IX, 95).

Post versum 307 Schraderus recte vidit addenda esse ex G. IV, 454 verba: qualis miserabilis Orpheus.

Vs. 313 Burmannus supplevit ex Aen. VII, 458. Idem simili ratione vs. 315 emendare conatus est, sed ut Vergiliana non accurate servaret. Scribi enim voluit ex Aen. V, 432 et Ge. III, 523:

genua labant tarda atque oculos stupor urguet inertis.

Sed apud Vergilium:

tarda trementi Genua labant.

Quare fortasse ex Aen, XII, 905 rectius scribas:

genua labant, gelidus oculos stupor urguet inertis.

Non est enim, quod in producta syllaba us offendas.

Vs. 320 Burmannus haec commendat: fare age atque mihi haec edissere vera roganti. Nescio an minus recte; quamquam quae Salm. praebet „fare mihi atque“ apud Vergilium non inveni. (Altera versus pars desumpta ex Aen. II, 149.)

Vs. 330 „casiaque crocoque rubenti“ desumpta ex Ge. IV, 182 (ubi accusativus); quod affero, quia Burmannus se indicavit nescire, unde petita sint.

Vs. 337 „expectans quae signa ferant, ignara futuri.“ Sic Burm. pro eo quod in Salm.: aut (= haut) ignara futuri; namque „aut“ viro docto ex literis verbi proxime antecedentis „ferant“ ortum videtur. Sed quum Aen. IV, 508 legatur „haut ignara futuri“, de ea re dubitari potest.

Vs. 349 „talia cernentem tandem“ apud Vergilium frustra quaeras (cf. Aen. IV, 408: cernenti tatia). „tandem“ fortasse ex versu proximo huc irrepsit. Neque (vs. 365) „flammaque volantem“ ita coniuncta apud Vergilium inveniuntur. — Denique vs. 430 „illa autem per populos“ corrupte in Salm.; nec scio aut unde haec desumpta sint aut quomodo emendari possint.

Vs. 357. nunc si bella paras, et luctu miscere himeneus (i. e. hymenaeos). Salm. (sec. Burm.: bella reparas). Ubi varia tentavit Burmannus; sed ex Aen. VIII, 400 scribendum:

et nunc si bellare paras, luctu m. h.

Illud enim et in initio versus collocandum erat.

Vs. 363 optime Burmannus emendavit; praeterquam quod „iungebat“ retinere debuit.

Vs. 382 „heu stirpem invisam, et fata contraria nostris! Burmanno quidem necesse videbatur addi „fata“, ut apud Vergilium Aen. VII, 293: fatis contraria nostris Fata Phrygum. — Sed fortasse ita intelligenda verba: et stirps fatis contraria nostris; quamquam hoc durum et admodum ineleganter dictum esse nemo erit, qui neget.

Vs. 386 sqq. parce pias scelerare manus, aut qui tibi nostri

pulsus amor, si iuris materni cura remordit,
natis parce tuis.

Sic Salm., corrupte sine dubio. Burm. unde illa „qui tibi nostri pulsus amor“ petita sint, se nescire fatetur. Meyerus putat nonnulla intercidisse. Oudendorpius autem haec proposuit:

— aut si tibi nostri
pulsus amor (iuris materni cura remordet)
natis parce tuis.

Sed cum verba desumpta sint ex G. IV, 324, scribendum: aut quo tibi nostri pulsus amor? cf. 224, ubi item qui in Salm. pro quo. „Si“ quod exstat apud Verg. Aen. VII, 402 num retinere liceat, dubius sum.

Vs. 395 Burmannus recte et inseruit; vs. autem 442 deleta particula et metrum restituitur.

vs. 412 „munera; ingentem luctum etc.“ Burm. inter „munera“ et „ingentem“ „at“ addi vult. Sed poëta videtur tali hiatu non abstinuisse. Cf. vs. 87: „quid causas petis in me exitiumque meorum“?

Vs. 428. „nec vires herbarum“. Ex Aen. V, 684 „heroum“ scribendum esse Burm. intellexit.

Vs. 443 in Salm. non aliter quam Aen. VII, 557 legitur:

„te super aetherias errare licentius auras.“

Ubi quum Burmannus me proposuerit, probatum illud Meyero, nescio an verba sic explicare liceat:

saevus amor docuit matrem ... super te errare auras (cf. Aen. III, 690: errata litera)

Denique extremo carmine non omnia recte habere ut suspicemur, faciunt verba bis posita: „opta ardua pinnis astra sequi“. Sed hic quoque quid scribendum sit quam maxime dubium non esse non potest. (De aliis nonnullis locis, quibus lectiones huius centonis ex Vergili codicibus emendandae videantur, infra agetur.)

Postquam his vitiis Hosidii verba liberare conati sumus, iam videndum, quale fuisse exemplar existimandum sit, quo Hosidius utereretur, et quae inter hoc et nostros codices antiquissimos intercedat ratio. Quod quo facilius perspiciatur, omnes centonis locos, ubi libri Vergiliani antiquissimi fluctuant, iam afferam.*) Et quum inter codices Vergilianos tres quasi principatum teneant, Mediceus (*M*), Palatinus (*P*), Romanus (*R*), omnium maxime interest, opinor, scire, cum quo potissimum horum codicum Hosidii lectiones consentiant. Atque in universum quidem dicere licet, Hosidii exemplar cognatum fuisse codicibus *MP*, ita tamen, ut utrum Pal. an Med. similius fuerit dici vix possit. — Namque eis locis, ubi reliqui codices antiquissimi (de his tantum agitur) a *MP* recedunt, Hosidius plerumque cum *MP* consentit. Primum id fieri videmus, ubi codex *R* singulares praebet lectiones, his locis:

Vs. 106 (Aen. V, 71) Hosidius cum *MP*: et cingite tempora, *R*: tempora cingite. — Vs. 165 (Aen. IX, 131) *FMP* Hos.: pars altera adempta est. *R*: dempta est. — vs. 207 (Aen. X, 54) Hos. cum *MP*: expectatique triumphi. *R*: exoptatique. — Vs. 446 (Aen. IX, 37) Hos. cum *MP*: ascendite, ubi *RF*: et scandite. — vs. 137 (Aen. II, 15) cum *MP*: divina Palladis arte, ubi *R*: divinae.

Aliis quidem locis Hosidii lectiones cum *R* consentiunt, ut vs. 47 (Aen. VII, 128): „haec nos suprema manebant“ cum *R*, ubi *MP*: manebat. Sed hic, si sententiam respicimus,

*) iisdem codicum signis utor atque Ribbeckius.

centonis auctor „manebant“ scribere debebat, et vs. 455, ubi eadem verba leguntur, cum *MP* „manebat“ scripsit. — Vs. 232 (G. IV, 238) in vulnera ponunt“ Hos. *Rc*, Non., Macr., schol. Iuv. uolnera γ., ubi *Mb*: vulnere, *P* volnere. — vs. 413 (Aen. VI, 133) Hos. cum *R*: si tanta cupido est, ubi *P*: cupido, *M*: cupido est. — Similiter vs. 270 (Aen. IX, 156) pars acta diei est Hos. cum RM_2, PM_1: diei. — Ceterum hoc cum *R* consensu facile vides multo graviorem esse eam, de qua modo diximus, inter Hosidium et *R* discrepantiam.

Deinde fragmenta Vaticana (*F*) ubi singularem aliquam lectionem praebent, Hos. cum *MP* plerumque consentit, hos dico locos: vs. 56 (Aen. VI, 399) nullae hic insidiae cum *MPR*, ubi *F* pr. m.: hinc. — Vs. 407 (G. III, 181): volantis cum *PR*, *M* (in quo: volantes), ubi *F*: volentis. — vs. 198 (Aen. IV, 565) „non fugis hinc praeceps“ cum *MP*, ubi *F*: $^{H}{}_{IN}{}^{C}$. — vs. 311 „anima fugiente vocabat“ desumpta sunt ex G. IV, 516, qui versus in *F* om. — vs. 420 (II, 690) „subito“ Hos. cum *MPV*, ubi *F*: subitu^{m}.

Contra cum *F* Hosidius consentit vs. 236 (VII, 490): ille manu patiens, ubi *M*: manu^{m}, *RV*: manum (*P* def.) et vs. 314 (Aen. VII, 459): praeruptus cum $F\gamma_1$, ubi *MR*: proruptus (*P* def.).

Neque quae schedae Veronenses (*V*) habent singularia, apud Hos. inveniuntur: vs. 62 (Aen. VII, 337): funereasque cum *MR* (*P* def.), ubi in *V* que om. — vs. 104 (Ecl. VIII, 32) digno cum *MP*, ubi *V*: digna. vs. 203 (Aen. II, 660) „hoc“ cum *MP*, ubi *V*: haec.

Denique vs. 319 (Aen. III, 199) Hosidius scripsit cum *FMP*γ: „abruptis nubibus ignes“, quod idem Macrobius testatur Sat. VII, 1, 27, quum schedae Sangallenses (*G*) et exemplaria Lucret. (II, 114) praebeant: abrupti.

Ex his igitur locis quum appareat, Hosidii exemplar cognatum fuisse *MP*, tamen neutri horum codicum plane simile fuisse ex eis quae iam afferam, patebit. Ac cum codice *P* Hosidii lectiones consentiunt his locis:

Vs. 6 = vs. 31 (Aen. IX, 209) aspicis cum *P*, ubi *MR*: adspicit, vs. 40 (Aen. IV, 11) cum GPF_1: quem forti pectore, ubi *MR*: quam. vs. 43 (Aen. IV, 651): sinebant cum *FP* (in *P*: sinebat), ubi *M*: sinebat. vs. 88 (IV, 461): priorum cum *PF*, ubi *M*: piorum. (Utrumque notum fuit Servio) — vs. 234 (Aen. III, 621) effabilis cum *P*γ, ubi *M*: affabilis (AFÉABILIS). — vs. 374 (XII, 296) cum *PR*γ: hoc habet, ubi *M*: habe et. — vs. 457 (IX, 135) cum *FPR*: sat fatis Venerique datum est; *M*: datum, omissa voce „est“. vs. 243 (Aen. II, 778) asportare cum *P*, ubi *M*: portare.

Cum *P* et altera Medicei lectione contra priorem *M* lect.: vs. 265 (X, 72) quae dura potentia nostra, ubi prior *M* lect.: nostri. vs. 25 (Aen. X, 100): rerum cui summa potestas cum PM_2, ubi *R* et M_1: prima. vs. 202 (Aen. II, 678) relinquor cum *FPV*, alt. *M* lect., ubi prior *M* lectio: relinquar. vs. 160 (Aen. VI, 37) poscit cum *PF*, altera *M* lect., ubi pr. *M* lect. *R*: poscunt. — Denique versu 229 (G. II, 341) Hosidius praebet cum *PR*, *M* pr. l.: ferrea, ubi altera *M* lect.: terrea, quod testantur Serv., Philarg., Lactant.

Aliis vero locis cento a *P* discrepat et cum *M* consentit. Ex quibus haec quidem leviora sunt, quod vs. 18 (III, 629) Hos. cum *M* „oblitusve“ habet, ubi *P*: que. vs. 236 (G. III, 433) „torquens“ cum *MR* (in *M*: TORQEN⁀) ubi *P*: torquent. vs. 282 (Aen. XII,

883) „frater“ cum *MR*, ubi in *P* errore librarii „fratre“ scriptum est. vs. 314 (VII, 359) perfudit cum *M*, ubi *PF*: perfundit. 444 (X, 668) Salm.: tantum i. e. tanton, quod *MR* habent, ubi *P*: tanto. 453 (XII, 893) que cum *MR*, ubi *P*: ve. 313 (X, 670): unde abii cum *MR*, *P*: abeo (e corr. in i). Graviora autem haec sunt: vs. 331 (VII, 13): nocturno in lumine Hos. cum *M*, ubi *FPR*: nocturna in lumina. 180 (II, 62): seu certae occumbere morti *) cum *MR*, ubi *P* a pr. m.: occurrere. — vs. 346 (VI, 607) intonat ore, ubi *P*: increpat. — vs. 83 (G. IV, 447): neque est te fallere quicquam cum *MR*, ubi *P*: cuiquam. (Serv.: cuiquam, alii quicquam legunt.). Vs. 1 (XII, 176) precanti cum *M*, ubi *PR*: vocanti. vs. 2 (XII, 178) „et tu Saturnia Iuno“ cum *M*; *PR*: coniunx.

His duobus locis (vs. 1, 2) Medicei lectio quin vitiosa sit, dubitari vix potest. Veri enim est simile vs. XII, 176 illud „precanti“ ortum esse ex fine versus qui praecedit, qui in „precatur“ exit. Neque Vergilium hic „precanti“ scripsisse ut credamus, facit etiam quod vs. 169 rursus sequitur rursus idem vocabulum „precor“. De versu autem 178 libri XII recte Wagnerus in editione Heyn.: „quum ubique praeter hunc locum Saturnia Iuno, non coniunx vocetur, III, 380. V, 606. IX, 2. 745. 802. X, 760 et paullo ante XII, 158, apparet librarios ad notas loquendi formulas pleraque revocantes expulisse veram lectionem coniunx.“ Quoniam autem eadem apud Hosidium inveniuntur, coniici licet, iam illius aetate haec menda in Vergili verba irrepsisse. Atque non aliter de his locis iudico, quibus centonis lectiones veteres errores testari videntur: vs. 234 (Aen. III, 621), ubi „affabilis“, non „effabilis“ **) quin Vergilius scripserit, non dubito; bene enim Heynius ad h. l.: „recte tamen alterum (affabilis) praefertur, quandoquidem iunctum cum *nec facilis visu.*“ Deinde quod Hosidius vs. 25 ex Aen. X, 100 scripsit „rerum cui summa potestas“, quod et Donati et Macrobii praebent exemplaria, illatum esse a librariis ex interpretatione pro eo quod Vergilius scripsisse existimandus est ‚prima“, rectissime Wagnerus iudicavit, qui optime: „ac nisi ita (prima)“, inquit, „legatur, plane otiosa est altera versus pars (pater omnipotens), quum omnipotens is sit, qui summam rerum potestatem habet. Sed prima potestas Iovi tribuitur ceterorum deorum ratione habita, quippe ad quem prae ceteris dis rerum potestas pertineat.“ Tum vs. 331 (Aen. VII, 13) „nocturno in lumine“ non recte habet, sed unice vera est lectio „nocturna in lumina“ (ussit cedrum), quoniam hic indicatur, quid Circe cedro urenda sibi comparare voluerit. Quid? quod Hosidius scripsit vs. 229 ex G. II, 341 „ferrea progenies“ nonne a librariis substitutum videtur alteri lectioni, quam Servius, Philarg., Lactantius firmant (eamque probavit Bentl. ad Hor. epod. II, 18) „terrea progenies“? Neque enim illo loco agitur de ferreo hominum genere (quale est apud Hesiodum σιδήρειον γένος), sed de hominibus primum ex terra procreatis. Quod Hosidius autem cum *F*γ scripsit vs. 314 (Aen. VII, 459) „praeruptus“ pro „proruptus“ apertum est vitium. — Denique non negligendus est vs. 243 (Aen. II, 778), qui hunc in modum in cod. Salm. scriptus extat:

possem hinc adportare Creusum.

---

*) in Salm. etiam certe scriptum extat cum *M*γ, Nonii exempl. *P*: certe.

**) quod tamen Servius aliique grammatici legerunt.

Unde apparet Hosidium et vocem hinc et „asportare“ (hoc enim sibi vult scriptura „adportare“) in suo exemplari invenisse, quum utramque vocem Wagnerus eiiciendam statuat, ut talis orationis forma efficiatur:

nec te comitem portare Creusam (sic in duobus Moretanis). Codices fluctuant; *P*: comitem hinc asportare. *M*: comitem hinc portare (quod Ladew. recepit). Ribbeckius ea recepit quae in cod. Bernensi exstant, quae eadem Servius commendavit, apud quem haec leguntur: „hic versus caret scansione: unde multi ei hinc, multi as syllabam detrahunt. Si tamen vis fide servata scandere, fiat conversio: eveniunt, nec te hinc comitem asportare Creusam.“ Servius igitur ea invenit, quae in *P* extant; neque aliter scriptum hunc versum legisse videtur Hosidius, qui ex eo alteram tantum partem „hinc asportare Creusam“ suis inseruit. Qui nisi ita legisset, sine dubio scripsisset: possem comitem asportare Creusam.*)

Atque hanc unam lectionem Servio visam esse codicum auctoritate satis firmatam, apparet ex verbis eius „fide servata“; illas enim lectiones „comitem asportare“ et „comitem hinc portare“ ex studio emendandi versus ortas esse dicit. Quae quum ita sint, Medicei lectio „portari“ dubitari potest, num eiusmodi emendatori debeatur.**) Quodsi Palatini scriptura, quam confirmant Hosidii et Servii testimonia, pro antiquissima habenda est, unde quaestio proficisci debeat, recte mihi videtur Ribbeckius Servii recepisse emendationem. Wagnerus quidem vere poëticam lectionem dicit eam esse, quam duo Moretani servaverunt „te comitem portare Creusam“; explicandi vero causa hinc ab aliis additum, ab aliis „asportare“ positum. Ego aliter de his verbis iudico. Nam sua vi mihi posita videntur et hinc et asportare, quippe quibus indicet Creusa, sibi illam ipsam terram tamquam sedem et domicilium deberi, unde si quis se alium in locum abducere velit, eum non bene facere neque id ei licere. Cf. vs. 788: sed me magna deum genetrix his detinet oris. (Serv. ad h. v.: „in quibus colitur.“ Heyne: „videtur innui: a Cybele eam in consortium esse assumptam tamquam Nymphan in patrio solo.“) Quamobrem quoniam „asportare“ significantius hoc loco est, quam verbum simplex, in illa re non tantopere offenderim, quod hoc verbum in prosa oratione usitatius est quam apud poëtas.***)

---

*) Burm. quidem totum versum 243 sic corrigendum putat: auspiciis; possem hinc comitem asportare Creusam. Sed versus constat, si Hosidium inter „possem“ et „hinc“ hiatum statuamus admisisse talem, qualem admisit vs. 54: invisúm et non innoxia verba.

**) cf. XII, 709, ubi *M*: decernere (metro repugnante). *P*: de cernere. Serv.: cernere vera et antiqua haec est lectio . . . posteritas coepit legere „et decernere“. Ubi vides verae lectionis vestigia extare in *P*.

***) Similiter eis locis, quibus Quintilianus versus Vergilianos affert, ea quae apud Quintilianum extant, partim cum *M*, partim cum *P* consentiunt. Et iam illius aetate scripturam Vergilianam nonnumquam prave immutatam esse nescio an recte concludatur inde quod Quintil. VIII, 6, 46 versum 9 ecl. IX sic affert, ut in *P* scriptus extat: veteris iam fracta cacumina fagi; ubi quum *M* praebeat „veteres fagos“, recte, opinor editores hoc praetulerunt (Ribb.: cf. II, 3 inter densas umbrosa cacumina fagos.) Wagnerus alteram lectionem ortam esse statuit ex scriptura „veteris“; mihi magis probabile videtur appositionis collocationem paullo insolentiorem librariis ansam dedisse mutandi (cuius collocationis haec cf. exempla: Ecl. I, 58 raucae tua cura palumbes. G. II, 146 maxima laurus victima. ib. 385 Ausonii. T[illegible] gens missa coloni. Aen. I, 435: ignavom fucos pecus.).

His quae de Hosidii lectionibus cum codicibus nostris comparandis disputavi, nonnulla addo, quae non minus huc pertinent. Quum enim saepius testimonia veterum cum codicibus nostris non congruant, horum lectiones Hosidius nonnumquam tuetur, ut vs. 148 (Aen. IV, 534): en quid ago, ubi Donatus: heu quid agam. vs. 332 (G. III, 449) et sulphura viva cum *MPR*γc, ubi „vivaque sulphura“ bχ, Macrob., Serv., Mar. Vict., qui tamen utrumque novit. vs. 375 (VII, 555) coniugia, ubi Mentel. pr. χ, Serv. exempl.: conubia.

Neque id omittendum, quod Hosidius nonnullos versus in suo exemplari legit, quos fuere qui ab Vergilio profectos esse negarent. vs. 9 ex IV, 21 desumpsit, quem versum Peerlkampius damnat; vs. 81 et 95 ex Aen. IV, 52 sq., quos idem eiici vult. vs. 95 altera pars ex Aen. V, 285, quod hemistichium Schwenckio displicebat. vs. Aen. III, 686 ab Heynio et Wagnero damnatur, unde Hosidius vs. 280 verba „dare lintea retro“ petivit.

Denique omittere nolim, quod vs. 362 Salmasiani scriptura ei rationi favet, quam et illo loco (est Aen. VII, 562) et VI, 241, 750, 788. X, 251 Ribbeckius secutus est, quum pro „supera“ quod vulgo edebatur, „super“ scripsit. In Salm. enim extat: super ardua linquens, ut etiam in *MR* (*P* def.), supera γ. Neque negare possumus omnibus his locis codicum antiquorum scripturas eas esse, ut antiquitus „super“ scriptum fuisse verisimile sit. — vs. 71 (VII, 339) Salm. praebet „dissice“, ut *R*γbψ. *M*: dişice, unde Ribbeckius „dissice“ posuit, improbatum illud a Wagnero, orthogr. Verg. p. 445.

Atque haec quidem hactenus de Hosidii lectionibus cum codicibus nostris comparatis. Iam de eis dicendum, quae apud Hosidium inveniuntur neque in codicibus antiquis extant. Qua in re id agendum, ut accurate distinguamus ea, quae ipse mutavisse videtur et quae librarii in eius verba intulerunt, ab eis, quae in suo exemplari invenisse videatur. Nam ille quamquam in componendis versibus Vergilianis ita versatus est, ut plerumque nihil mutaret neque sententias inde ortas vitaret vel absurdissimas, tamen nonnumquam vel ne quae componeret prorsus inepta viderentur vel ut metri consuleret, nonnulla mutare coactus est.

Metri causa (cui illum non semper ut par erat consuluisse iam supra vidimus) pauca mutavit. vs. 11 (VII, 303) „profuerit“ scripsit pro „profuit“. vs. 221 (Aen. VI, 526) vocem „magnum“, vs. 113 (Aen. IV, 57) „lectas“ omisit. vs. 385 particulam et addidit. vs. 437 (Aen. III, 654) verborum ordinem non servavit.

Multo saepius a Vergili verbis recessit, ut sententiam aptiorem efficeret. vs. 109 (IX, 225) „corda oblita tuorum“ pro laborum posuit, vs. 148 (II, 119): quae vox pervenit ad auras pro „ut venit“. vs. 168 (III, 459) „et quocunque modo“ pro „et quo quemque modo“. vs. 190 (G. I, 396) et pro nec. vs. 199 (Aen. VI, 51) iam propiore deo (sic Burm. Salm.: iam propriora die) pro „iam propiore dei“ ib. ex Aen. IV, 451 „nescis heu perdita, nescis, ubi apud Verg.: necdum. — vs. 222 (G. II, 46) iussa pro longa. vs. 240 (X, 44) miseris, ubi quod loco Vergiliano invenit scriptum „Teucris“ prorsus alienum erat ab argumento centonis. vs. 334 „et non memorabile numen“; Aen. II, 583: nullum memorabile nomen“. vs. 370 (V, 716) omisit vocem est. vs. 411 (VIII, 612) tibi pro mei. vs. 421 (Aen. V, 683) pro „descendit“ scribere maluit „descendere“, ut hoc vocabulum coniungeret cum versus proximi prima voce „incipit“. Vs. 362 (VII, 651) pro „attollit“ scripsit „ttollens“ (quod

tamen hac sede versus reperitur IV, 690, V, 847). Vs. 388 pro et, quod apud Verg. Aen. II, 675 invenit, aut posuit.

Vs. 330 quum ex Ecl. V, 38 scripsisset „pro molli viola“, ex G. IV, 282 addidit „casiaque crocoque rubenti“ (ubi Verg. accusativum posuit). Et omnino nonnumquam Hosidius casum vel numerum vel personam aliam ponere cogebatur atque in versibus Vergilianis inveniebat. Sic vs. 21 (IV, 311) peteret (pro peteres) vs. 17 (Aen. V, 221) oblitus pro „oblitos“. vs. 178 (IV, 235) „moraris“ pro „moratur“. vs. 69 (XI, 348) „mineris“ pro „minetur“.

Atque his quidem locis Hosidius ipse quin verba Vergiliana mutaverit, dubitari non potest. Iam videamus, quid de ceteris eiusmodi locis statuendum sit, quibus singularia Hosidius praebet. Quorum nonnulla nil nisi vitia esse a librariis commissa facile intelligitur. Vs. 126 pro „risus“ „tristes“ scribendum esse iam Scriverius vidit; 227 „eripuit“ et 228 „caelorum“ (pro telorum), 334 „incendit“ (pro intendit) recte Burmannus correxit. Non minus librariis haec tribuenda esse videntur: vs. 60: unanimes, quum Aen. VII, 335 Vergili opt. codd. praebeant „unanimos“. vs. 87 „exitium“. Aen. VIII, 386: excidium *MPR* (exicium b). vs. 273 (Aen. IV, 369) non vitiose pro num. ib. (IV, 370) corrupte in Salm.: miseratus amanti, Verg. codd.: amantem est; neque Burmannus bene fecit, quod Hosidium „amantis“ legisse suspicatus est. cf. Serv. ad I, 601.

Vs. 298 (Aen. IV, 609) per urbem; vs. 33 ut apud Vergilium recte legitur „per urbes“. 354 (Aen. VII, 445) iram, ubi Verg. codd.: iras, quod et apud ipsum Hosidium extat vs. 284. Vs. 355 (Aen. VII, 451) „pavido“ mutandum esse in „rabido“ iam Burmannus vidit. Denique huc pertinere mihi videtur vs. 389: cadunt, pro quo Verg. Aen. II, 709: cadent, et 171 (XII, 163) sequuntur, ap. Verg.: sequentur.

Paullo aliter iudicandum de vs. 376 (Aen. V, 645) ubi Hosidius scripsit: natorum maxima nutrix, apud Vergilium extat „regia“ nutrix. Videtur enim ipse dum haec ex codice exscriberet aberravisse oculis ad versum priorem (646), qui exit in „maxima natu“. Simili errore versu 142 quum ex V, 517 scripsisset „vitamque relinquit“ (codd. Verg.: reliquit), ex versu paullo post sequenti 520 addidit „in auras“ *)

Deinde nonnumquam apud Hosidium talia inveniuntur, quae ambigi possit num ex exemplari suo desumpserit, an ipse verae lectionis in locum substituerit, ex memoria quum versum aliquem suis insereret. Quae quidem ita comparata sunt, ut pro verbo eo quod in Vergili codicibus invenitur, aliud videamus positum, quod similem habeat notionem. Sunt autem hi loci: vs. 128 velati tempora ramis, ex VIII, 286, ubi codd.: evincti. vs. 145 VII, 392) incensas; codd. Verg.: accensas, ubi incensas defendi posse Aen. IV, 376 „heu furiis incensa feror“ Burm. annotavit. — vs. 344 (Aen. VII, 518) „pavidae matres“, ubi *MR* (*P.* def.): „trepidae matres“. „itaque ex suo codice hic poëta diversam lectionem nobis suppeditat.“ Burm. Neque hoc Hosidius in suo codice ut invenerit, fieri posse negaverim; sed sive qui eum codicem scripsit sive Hosidius ipse „pavidae“ hic posuit, hoc pro certo habeo hanc lectionem profectam esse ab eo, qui meminisset Aen. II, 489. ib. 766. VII, 592, ubi

*) Ex his locis intelligi potest, Hosidium exemplar suum evolvisse, quamquam multa eum ex memoria scripsisse satis verisimile est.

verba „pavidae matres“ inveniuntur. Contra „trepidae matres“ quum nullo alio loco commemorentur, ideo haec pro vera lectione habenda. Cf. quae supra (p. 12) de loco XII, 178 disputavimus. Vs. 417 (Aen. I, 707): per limina tota, ubi Verg. codd.: laeta. vs. 459 (Aen. VI, 796) ultra anni solisque vias, ubi Verg. codd.: extra. vs. 251 (Georg. III, 515) sudans sub vomere taurus. Verg. codd.: fumans.*)

Aliae nonnullae Hosidii lectiones quamquam consentiunt cum eis, quae in libris recentionibus inveniuntur, tamen ideo statui num liceat eas ad exemplar, quo Hosidius usus sit, redire dubium est, quoniam vitia quaedam eiusmodi sunt, ut ab omnibus librariis quovis tempore facile admitti potuerint. Iam supra vs. 87 (Aen. VIII, 386) attuli, ubi „exicium“ quidem in cod. Bern. b extat pro „excidium“ librorum optima lectione; sed hoc librariorum errore et in b et in Salm. illatum esse videtur. Sic vs. 182 (Aen. VII, 122) quod in Salm. extat „hic domus, hic patria est (*MPR*: haec domus), quamquam etiam in cod. Bern. c scriptum est, tamen ei rei nihil tribuendum esse puto. Quam enim facile ex altero hic etiam antea hic oriri potuerit, nemo non videt. Similiter vs. 279 (Aen. IV, 368) „quid me ad maiora reservo“ pro quae, quod opt. libri habent, et in Salm. et in quatuor Burm. ortum ex eis quae praecedunt „quid dissimulo“. Neque vs. 342 (Aen. VI, 257) magni momenti est, quod duo Heinsiani cum Salm. praebent: per umbras, quum *MPR* habeant: per umbram cf. VI, 268. ib. 442. 490. (Ceterum de diverso huius vocis singulari vel plurali numero usu cf. Wagner, Quaest. Verg. IX, VII.) Denique vs. 424 (G. III, 565) Salm. cum Ven. et Rottend. sec.: sequebantur; *MPR*: sequebatur. Cui rei non multum tribuendum, praesertim quum Hos. sententiae causa pluralem ponere coactus fuerit.

Aliquanto sine dubio digniores, ad quas animum attendamus, eae lectiones sunt, quae veteribus quoque notae fuerunt grammaticis. In quibus memorabilis versus 122 „carpebant membra quietem“. Quae verba licet in nullo codicum antiquorum inveniantur, ea tamen desumpta esse videmus ex versu, quem Servius citat ad Aen. I, 388: et placidam carpebant membra quietem. Scilicet et Hosidius et Servius ita invenerunt scriptum in suis exemplaribus versum Aen. IV, 522, qui in codd. sic extat scriptus: nox erat, et placidum carpebant fessa

---

*) Iuvat cum his conferre eos locos, quibus Quintilianus talia affert, quae in nullo codice inveniantur. In quibus parvi momenti est, quod IX, 3, 15 ex Aen. VII, 787 praebet „tremens“, quum in Vergili codicibus extet „fremens“. Sed Ecl. I, 2 quod apud Quint. IV, 4, 85 legitur „agrestem tenui musam meditaris avena (ubi *PR*: silvestrem) aut Quintilianus ipse at qui Vergilia exemplar quo utebatur scripsit librarius posuisse videtur memor locorum, qui sunt Ecl. I, 10. VI, 8. — Aen. XI, 384, ubi Verg. codd.: stragis acervos, Quint. IV, 2, 49: caedis acervos habet, haec Quint. lectio orta videtur ex XI, 207. X, 245. Simili deinde Quintiliani errore fieri potuit, ut (VII, 9, 10) ex Aen. V, 212 „caelo aperto“ scriberet pro „pelago“, Aen. IV, 143 (VIII, 3, 73) aut pro ac, Aen. II, 307 (A. VIII, 6, 10) „sedet“ pro „stupet“, (IX, 2, 29) Aen. II, 69 me pro nunc. Aliter res habet Aen. III, 436, ubi Quint.: proque omnibus unum praecipiam, quum *MV* (in *P* verbum legi non poterat) praebeant: praedicam. Quod verbum proprium, ubi de vaticinatione agitur, recte apud Vergilium positum est; Quintilianus autem quum locum Vergilianum suum in usum verteret, praecipiam scribere maluit; praecepta enim tradit ille artis (ut fortasse hoc verbum „praecipiam“ omnino non debeat coniungi cum versibus Vergilianis). — De loco Ecl. IV, 62, ubi Quintilianus (IX, 3, 8) veram videtur servasse lectionem, longum est hic agere.

soporem (corpora per terras —). Quo loco si respexeris quae adduntur „silvaeque et saeva quierant Aequora etc. — ea quae codd. Vergiliani praebent recte habere facile intelliges. Etsi autem coniici liceat lectionem a Servio et Hosidio firmatam ortam esse ex eis quos Ribbeckius affert, locis (I, 691: placidam per membra quietem Irrigat. VII, 414: Turnus — carpebat nocte quietem): tamen hoc memorabile, quod quam ex Servianis cognovimus lectionem, eadem iam Hosidio nota fuit.

Item Servii testimonium accedit variae quam Hos. praebet lectioni vs. 304 (G. IV, 15) „pectus signata cruentum“ (sic etiam Serv. ad Aen. I, 235). Codd. Verg.: et manibus Procne pectus signata cruentis. Quod quidem praeferendum; nam „manus cruentae“ repraesentant eam quae caedem perpetravit (cf. Aen. II, 167) quod minus bene sola voce „manibus“ indicari videtur.

Denique vs. 113 (Aen. IV, 57) quod Hosidius legisse videtur „mactat de more bidentis“ (ubi codd. Verg.: mactant), idem legerunt et Arrusianus p. 247 L. et Macrobius Saturn. III, 5, 2 et ib. 12, 10, ubi haec eius sunt verba: .... toto, ut aiunt, coelo errasse Vergilium, cum Dido sua rem divinam pro nuptiis faceret? „mactat“ enim inquit, „lectas de more bidentis“? Ceterum hic quoque codd. Verg. recte: mactant. Ita enim oratio conformata est, ut primum de utraque sorore agi videamus, Didone et Anna: „principio delubra adeunt pacemque per aras Exquirunt; mactant etc.“ Deinde vs. 60 poëta transit ad ea quae ad solam Didonem pertineant: „ipsa tenens pateram“ etc.

Variam lectionem in suo exemplari Hosidius fortasse invenit his locis: vs. 449 (Aen. XII, 792): sive animo sive arte vales; codd. Verg.: animis. vs. 256. galea. codd. Verg. Georg. II, 141: galeis. — Recte vs. 95 (Aen. V, 285) geminique sub ubere nati, quod omnes editores receperunt, in Salm. scriptum, quum codd. $MP_1R\gamma$ (in *V* verba legi non possunt) ubera prave exhibeant.

Vs. 337 (Aen. VI, 198) Salm.: expectans que (i. e. quae) signa ferant. *MR*: observans. In exemplari, unde *P* descriptus est, num „observans“ extiterit, dubitari licet. Aberraverunt enim librarii oculi post verba vs. 197 „diva parens“ in alterum versum, ut pergeret scribere: „quae signa ferant“. Quae autem omiserat ex vs. 197 „sic effatus vestigia pressit“ ima pagina manu recentiore addita sunt et vs. 198 observans (eadem manu recentiore statuendum, quamquam Ribb. nihil annotavit) suprascriptum. In γ: observans m. rec. in rasura.

Vs. 139 (G. I, 409) non liquet, quid Hosidius legerit. Namque in Salm. quum verba corrupta sint hunc in modum „secat era“, dubium, utrum hoc ortum sit ex „secat aëra“ (sic Burm.), an ex „secat aethera“ quod opt. cod. tuentur.

His expositis ut pauca addam restat de eis, quae Burmannus aliique ex schedarum Salm. scripturis elici posse putaverunt. Ac primum quod vs. 337 ex scriptura Salm. „luctum miscere imenaeus“ Hosidium ille legisse suspicatur „luctum miscere hymenaeis“ pro eo quod Aen. XII, 805 extat „luctu miscere hymenaeos“ non probo; in ipso enim centone, vs. 440 legitur: luctum miscere imenaeos“ (luctum autem unde ortum sit patet).

Parum feliciter idem vs. 336 (XII, 102) defendit vitiosam Salm. scripturam „oculis micat acribus ignem“. Vix enim invenitur verbum micandi significatione transitiva usurpatum;

et licet in $MP_2\gamma$ scriptum sit ignes, non „ignis“, tamen „ignis“ scribendum esse, vel Lucret. III, 290 et Sil. XI, 329 ostendunt.

Vs. 193 (Aen. VI, 389) Burm., quum in Salm. legatur: fare age quid venias iam stringet (sec. Burm. stinget) comprome ressum, scribendum esse coniecit: „iam stringe et comprime gressum“. Sed verbum stringendi hic non apte poni iam Heynius monuit, neque est, cur in verbis „iam istinc“ offendamus. Ribbeckius autem in Salm. scriptura vestigia sibi videtur deprendisse lectionis „iam stinc et“ (in *M*: ISTINC, I minio add.) qua de forma conferri iubet Lachm. Lucret. p. 197.

Vs. 217 (Aen. VI, 354) „tantis surgentibus undis“ Salm. — Verg. codd.: tantis navis surgentibus undis. Unde Burmannus, quoniam in nonnullis cod. rec. legitur: navis tantis surgentibus undis, etiam Hosidium hunc verborum ordinem invenisse concludit.

Versu denique 325 (VI, 281) pro „vittis“, quia in Salm. scriptum est „vinctis“, Heinsius „vinclis“ scribendum esse coniecit. Minus recte; quum enim vs. 326 sequatur vox „vinclis“, inde in hunc versum, ni fallor, mendum illatum est.

In fine eorum, quae de hac Medea scripsi, nonnulla adiiciam de versibus, quibus ipse cento finitur, desumptis ex Ecl. III, 109 sq.:

et quisquis amores
aut metu aut dulcis aut experietur amaros.

Sic in Salm., ut Hosidius utrum „metuat“ an „metuet“ legerit, diiudicari nequeat. Hoc autem videmus illum eadem fere legisse, quae in $R\gamma$ reliquis codicibus extant. Quod de hoc loco testimonium eo minus negligendum esse existimo, quia codicum *M* et *P* testimonio hic caremus neque veterum quisquam — quod sciam — hos versus affert. Editores autem fere omnes in his offenderunt et varia tentaverunt, quae omnia afferri opus non est (cf. Wagn. ad h. l.). Wagnerus quae edidit: „et quisquis amores haut metuet, dulcis aut experietur amaros“ Vergilius num scripserit, ipse valde dubitat. Et si formam orationis respicis, haec parum concinne videntur dicta; et ne sententia quidem placet; post illa enim „quisquis amores haut metuet“, certe haec non expectamus „dulcis aut experietur amaros“, quae opus non est quemquam nos docere. En egregiam sapientiam dicentis: res aut prospere cedet aut minus prospere!

Longius a codicum vestigiis Ribbeckius recessit, quum scripsit:

et quisquis amores
hau temnet dulcis, haut experietur amaros.

Quod Ladewigius quidem recepit, sed ut se etiam huius lectionis veritati diffidere significaret. Mihi si quid de loco difficillimo censeam licet exponere, hoc quidem constat, opinor, verba coniungi non posse cum eis quae antecedunt: et vitula tu dignus et hic, sed his contineri sententiam in universum dictam. Dicta autem esse quum non possit nisi respectu habito eorum quae Damon et Menalcas inde a vs. 60 cecinerunt, mihi fateor non satisfacere quae Ribbeckius scripsit. Si enim conferas vs. 101: idem amor exitium pecori pecorisque magistro, vel quae vs. 81 de Amaryllidis iris dicta sunt, si de curis cogites, quibus vacuus esse non potest amor puellae, quam eandem alius quoque amat (ut illi de Phyllide certant): nonne his potius contraria sententia convenire videtur? Talia postquam Pal[illegible] non audivit,

nonne amores eiusmodi esse ei videri debent, quos qui non fugerit, amaros experturus sit? Accedit, quod verba „aut metuat“ et „aut experietur“ optime inter se opponuntur. Prius enim membrum est quasi monentis, ne quis amoribus sese vinci patiatur; quod nisi fecerit, quae sit ei poena luenda, altero praedicitur. Quare ad eam rationem facere non possum, quin redeam, quam Naegelsbachius olim l. a Ribb. l. secutus est (neque aliter apud Hosidium haec verba explicari possunt) ut hanc esse statuam sententiam: „Jeder wird entweder die süsslockende Liebe (dulces enim tum sese praebent amores, quum fugiendae sunt) fürchten, oder sie als bitter in der Erfahrung kennen lernen.“ („Wer der Minne Reiz nicht flieht, wird ihre Bitterkeit schmecken“ Ladew.) Sic autem „quisquis“ ea notione positum statuendum, qua „quivis“ poni solet. At hoc fieri posse homines docti negaverunt. Nec ignoro locum huic prorsus similem non facile inveniri (nominativus enim „quisquis“ nisi praecedente relativo sic non ponitur.) Tamen quoniam apud Lucretium, Varronem, Plautum „quicquid“ aliaeque huius vocis formae inveniuntur significatione positae non relativa, nescio an hic quoque „quisquis“ ferri possit (cf. Lucr. II, 957: inque suos quicquid rursus remeare meatus. et cf. Lachm. Lucr. p. 286.) Utut autem hac de re iudicatur, nec Ribbeckii coniectura probabilis mihi videtur, nec, si vitium hic latet, in verbis „aut metuat — amaros“, latere existimo.

II.

Aeneidis versus IV, 486. 548 sq., IX, 146 sq., XII, 801 sq., rectene a Ribbeckio transpositi sint, quaeritur.

Quaerentibus, qui antiquissimis temporibus textus qui dicitur Vergiliani fuerit status, minime omittenda ea sunt quae nuper O. Ribbeckius in „emendationibus Vergilianis“, quem libellum academiae Ienensi gratulabundus scripsit, coniectura assecutus esse sibi videtur. In hoc enim libro quum de versibus ageret, qui non suo loco positi esse viderentur in codicibus, nonnullos eorum quos transponendos esse censuit locorum ita comparatos esse demonstrare conatus est, ut inde de natura archetypi coniecturam facere liceret, ex quo nostri codices antiquissimi eidemque optimi (*PRMF* et γ) derivati essent. Quum enim versus quos non suo loco collocatos esse putat, ab eo loco, ubi collocandi illi videntur, ita distent, ut numerus versuum qui intercedunt octadibus binis aut quaternis etc. efficiatur: ille codicum *PFRM*γ statuit archetypon unum aliquod antiquissimum fuisse, in quo loci complures (Aen. IV, 486, 548 sq. 670. IX, 146 sq. XII, 801 sq.) a suo loco in falsum transpositi essent, huius autem vicissim exemplum octonos singulis paginis versus habuisse, in quibus illi aut in margine notati aut ima summave pagina scripti fuerint.“ Atque se versibus illis suum reddidisse locum tantopere persuasum habet, ut in editione sua eos ita collocare non dubitarit, ut collocandos sibi videri in „emend. Verg.“ exposuerat. Qua in re virum doctissimum summa usum esse sagacitate quamquam nemo negabit: tamen quum mihi admodum dubium videatur, rectene ita statuatur, liceat mihi quaestionem illam paucis retractare, quod bona venia me facturum spero viri summi, cuius quanta in Vergilium sint merita, meum non est exponere.

Ac primum quidem Ribbeckii sententiae favet, quod etiamnunc in nonnullis codicibus versus male transpositi leguntur, octonis versibus a loco quo ponendi erant distantes. Ut locum Ecl. X, ubi vs. 38 in *P* post 67 repetitur, missum faciam, in *M* bis versus transpositi sunt: Aen. I, 701—708 post 709—716 leguntur; et post IX, 732 versus 725, 726 ima pagina adiecti sunt. Atque in schedis Vaticanis IV, 470 omissus post 477 in mar[illegible] appositus

est, asterisco in margine vs. 477 et vs. 669 addito.*) Qui errores quin eo quo Ribb. putat modo orti sint, non dubito; sed quum in singulis tantum libris inveniantur, non probant quod de omnium codicum archetypo eiusque exemplo antiquiore coniecit. De his rebus infra pauca addam. Summi autem momenti hac in re sine dubio est quaerere, num loci illi, quos Ribbeckius transponendos dixit, revera ubi nunc leguntur ferri non possint. Quod ita esse si non apparuerit, omnis illa Ribbeckii ratiocinatio, quamvis arguta, nobis non persuadebit, ut ei obsequamur. Itaque loci illi accurate nobis erunt tractandi. Initium autem fiat ab eo loco, de quo Ribb. p. 5 sq. disseruit, IV, 548 sq.

1.

Versus IV, 548 sq. inter 417 et 418 inserendos esse Ribbeckius statuit. Hi autem versus fere extrema oratione leguntur Didonis, qua desperans saluti suae postquam varia quae iam sibi facere liceret, secum reputavit eaque omnia se indigna fore intellexit, mortem solum sibi relictum esse confugium videt et ea quae antea ei in mentem venerant his verbis (vs. 547) repudiat:

quin morere, ut merita es, ferroque averte dolorem.

Adduntur inde a vs. 550:

non licuit thalami expertem sine crimine vitam
degere more ferae talis nec tangere curas:
non servata fides cineri promissa Sychaeo.

De quibus haec Ribbeckius: „Vides“, inquit, „sibi ipsi mulierem culpam malorum imputare, a se omnem violatae fidei poenam repetere. Cuius poenitentiae gravitas nescio an valde infringeretur, si vel post illa partem certe criminis sororis consiliis tribueret. Nunc vero in textu vulgato etiam inter medios illos ingenui doloris affectus sororem, quae nec adest nec antea in reliqua oratione commemoratur, post vs. 547 ita increpat:

tu lacrimis evicta meis, tu prima furentem
his, germana, malis oneras atque obicis hosti.

Scilicet acerrimo maeroris impetu correptam modo huc modo illuc animo fluctuare docebunt elegantiores interpretes ... nos interea ... referimur ad eam orationem qua revera Annam Dido appellat, vs. 416 sq.“

Haec Ribbeckius. In quibus primum non intelligo, cur in apostropha illa offenderit, qua quidem Didonis animi commotio quaedam cernitur, sed simul caritas, qua sororem amplectitur. Nam ea quae maxime nobis cordi sunt, alloquimur vel absentes (cf. II, 56). — Deinde quod Ribbeckius Didonem dicit omnem a se repetere poenam violatae fidei, non plane concesserim. Sane illa se accusat et culpam suam confitetur, quum dicit „ut merita es“ (547) et „non servata fides promissa“ (552) et „crimine“ (550). Sed etiam aliam causam malorum unum vocabulum mihi indicare videtur: licuit. Fati enim deplorat iniquitate factum esse, ut vita beata talibus curis vacua, vacua crimine sibi non contingeret. Atque

*) Ceterum hunc locum, quum non pertineat ad eos, qui in omnibus codicibus male — quae est Ribb. sententia — transpositi sint, quo iure Ribb. l. l. p. 19 cum ceteris coniunxerit nescio.

ad hanc fati iniquitatem, opinor, etiam illud refert, quod Anna soror optima sese sorori consulere rata, inscia atque invita ea suadere debuit, quae perniciosissima ipsi futura essent. Quare cum Wagnero et Ladewigio Didonem statuo non tam „increpare“ sororem, quam deplorare fortunam suam, qua ipsa sororis sui amantissimae fides et amor causa facta sit ultimorum malorum. Et si verba ipsa respicimus, Dido quum dicit „tu lacrimis evicta meis“, sororem etiam excusat.

Denique ne id quidem probo, quod Ribbeckius aliam versus sic ut vulgo fit collocatos defendendi viam esse negavit, nisi ut Didonem maximo doloris impetu abreptam modo huc modo illuc animo fluctuare statueremus. Immo omnia mihi recte procedere videntur. Omnis enim haec oratio (inde a vs. 534) duabus partibus constat. Quarum prior vs. 547 finitur. Postquam enim varia de quibus cogitare poterat reiecit, forti et generosa muliere quod dignum sit, se facturam indicat: quin morere, ut merita es, ferroque averte dolorem.

Iam subsistit et queribunda miseriam suam respicit, qua iam eo redacta sit, ut praeter mortem nil sibi reliqui factum sit. Recordatur potissimum eorum, unde initium factum sit: sororem enim furorem susceptum non coercuisse, sed ut ei indulgeret sibi persuasisse. Inde enim ab eo tempore se peccare coepisse culpamque contraxisse meminit, cuius iam poena luenda sit gravissima (cf. supra 55, his dictis ... solvitque pudorem). Ex hoc autem initio fati iniquitatem intelligit, quanta fuerit: non licuit neque amore neque culpa expertem vivere! a sorore incitata non potui quam mihi imposueram et ad id tempus servaveram, iam servare legem. Et videri potest Dido haec „non licuit — Sychaeo“ pronunciare memor eorum quae supra Annae vs. 15 sqq. sibi „fixum animo immotumque manere“ dixerat (cf. vs. 18, vs. 24, vs. 28.).

Haec si recte disputata sunt, iam paucis agendum de eo loco, ubi Ribbeckius vs. 548 sq. inseri vult (inseri autem vult inter 417 et 418). Si autem quaerimus, num versus 417 sq. ita, ut in codicibus extant, non bene habeant, aut aliquid ad sententiam disideretur, hoc ne Ribbeckius quidem demonstrare conatus est. Atque omnia sese bene excipiunt. Dido enim ad Annam sororem verba faciens, quae perfidi Troiani moliantur, ei ante oculos ponit:

> Anna, vides toto properari litore: circum
> undique convenere: vocat iam carbasus auras,
> puppibus et laeti nautae imposuere coronas.

Sequitur: hunc ego si potui tantum sperare dolorem, ut sententiae coniungantur pronomine „hunc“; intelligitur autem „dolor harum quas modo tibi proposui rerum“, i. e. discessus Aeneae. Ubi quid, quaeso, deest? Ribbeckius quidem: „Atque hic“, inquit, „quo facilius beneficium illud, unicam spem suam (Annam enim Dido precibus vult adire Aeneam) impetraret, criminari quamvis leviter sororem poterat, quod suis verborum inlecebris tantis turbis se obiecisset: tu lacrimis etc.“ Poterat sane; sed ea hic apponi necesse non erat. Nam cur sororem potissimum nunciae munus suscipere aequum censeat, hanc causam affert vs. 421: solam nam perfidus ille te colere etc. Accedit, quod insertis versibus illis 548 sq. inter 417 et 418 verba „hunc ego — potero“ non satis apte interponuntur. Si enim praecedant „tu lacrimis“ etc., expectamus, ut hunc in modum pergatur: tu sanare potes mala, tu hoc miserae unum exsequere etc. Quare Ribbeckius ipse in editione nonam satis sibi

placere quae in „emend. Verg.“ statuerat, significavit et eo processit, ut a poëta totum locum absolutum non esse coniiceret.

2.

Alter eorum, quos tractare coepimus, locorum in eodem Aen. libro legitur, cuius libri vers. 486 Ribb. em. Verg. p. 12 sqq. inter 517 et 518 collocandum esse demonstrare studuit. In eis enim, quae Dido Annae narrat de via furoris sui solvendi a se inventa, inde a vs. 483 haec leguntur:

hinc mihi Massylae gentis monstrata sacerdos,
Hesperidum templi custos epulasque draconi
quae dabat et sacros servabat in arbore ramos,
spargens umida mella soporiferumque papaver.

Iam antiquitus in vs. 486 interpretes offendisse Servius testatur. Epitheton enim „soporiferum“ hoc loco ideo videri potest inepte positum esse, quia draco ille ad vigilantiam potius stimulandus fuerit, quare Schraderus versum damnavit, Ribbeckius alio loco ponendum esse statuit. Wagnerus autem et Ladewigius, ut „soporiferum“ defenderent, ideo pavaver draconi datum esse dixerunt, ut feritas eius vel custodibus terribilis mitigaretur, non ut ipse sopore opprimeretur. Sed haud scio an haec explicatio nimis quaesita sit. Rectissime vero de hac voce mihi videtur iudicasse Henry in Leutschii philologi vol. XII, p. 263, explicationem Heynii ille secutus, quam accuratius exposuit et comprobavit. Ex Plinii n. h. XIX, 8, 50 (ubi legimus: papaveris sativi tria genera: candidum, cuius semen tostum in secunda mensa cum melle apud antiquos dabatur) et Hor. ad. Pis. 375: Sardo cum melle papaver — ex his locis cibi genus fuisse apud antiquos videmus papaver cum melle commixtum. Et hic quoque nihil aliud nisi cibum significari, quo draco alatur, mihi patere videtur ex verbis „epulas dabat“. „Soporiferum“ igitur hoc loco est epitheton ornans (cf. G. IV, 545 Lethaea papavera. I. 78 Lethaeo perfusa papavera somno), quod addidit poëta concinnitatis causa orationis, quum mella „umida“ vocasset. Quod si quis poëtam alio epitheto rectius usurum fuisse existimat, hoc quidem concedendum; sed Vergilium etiam alias non tam accurate in elegendis epithetis versatum esse idem Henry demonstravit collato vs. XI, 195, ubi poëta rotas non concitatas tamen „ferventis“ vocat. Ceterum si versus eo loco, quo Ribbeckius vult, collocetur, ne sic quidem vocis „soporiferum“ alia vis esse possit. Nam quod ille p. 14 Didonem de Cerbero placando cogitasse videri dicit, id ut cuiquam probet, vereor. Praeterea autem (cf. Serv.) dici potest diversam esse naturam draconis ab humana, ut papavere ille non ut homines sopiatur. Cf. Valer. Fl. I, 60 sq. dracone, quem ... vocabat et dabat hesterno liventia mella veneno. Ubi draconem vides etiam veneno ali, quod hominibus exitio quum sit, illi tamen non nocet.

Ut in his Ribbeckio assentiri non possum, ita recte idem in alia re offendit, in qua reliquos interpretes non haesisse miror. Quoniam enim verba „spargens — papaver“ cum „epulasque draconi quae dabat“ coniungenda sunt, quam interponantur incommode apparet illa „et sacros servabat in arbore ramos“. Neque multum profici versu 486 ante 485 posito idem quum ille dixerit, tamen etiam versu hic omisso vitium remanere mihi videtur. Sacer-

dos enim mea quidem sententia, licet templi custos vocetur, sacros in arbore ramos servare dici omnino non potest. Hoc erat draconis; ipsa custos erat templi et ea, quae draconem arboris custodem aleret. Cf. Apollon. Rhod. IV, 1394 sqq.:

ἦεν δ' ἱερὸν πέδον, ᾧ ἔνι Λάδων
εἰσέτι που χθιζὸν παγχρύσεα ῥύετο μῆλα
χώρῳ ἐν Ἄτλαντος, χθόνιος ὄφις.

Quare Vergilium sic scripsisse suspicor:

Hesperidum templi custos epulasque draconi
quae dabat (is sacros servabat in arbore ramos)
spargens umida mella soporiferumque papaver.

Dicendum enim erat, opinor, qualis hic draco fuerit, cuius fit mentio, vel qui eius in sacro usus fuerit.

Iam transeundum ad locum illum, quem Ribbeckius vs. 486 inserto sanasse sibi videtur. Agitur ibi de sacris a Didone paratis; et postquam quae sacerdos conquiri iussit, enumerata sunt, inde a vs. 517 de ipsa Didone poëta haec addit:

ipsa mola manibusque piis altaria iuxta,
unum exuta pedem vinclis, in veste recincta,
testatur moritura deos.

Ribbeckius eam explicationem, secundum quam mola sala in ignem coniecta, manus autem pie precantis ad caelum sublatae intelligendae essent, quum improbaret, versum 486 inter 517 et 518 ponendum esse censuit, ita ut cum *MP*γ, Eutych. cod., Serv. ad Ecl. VIII, 82 „molam" scriberet. Codicum autem h. l. lectioni mihi videtur nihil tribuendum esse, quum sequatur vox litera *m* incipiens. Et „mola" extat in *F* idemque Serv. ad h. l. testatur (apud quem ad ecl. VIII, 82 ipsam molam, eodem, ut mihi videtur, errore bis admisso). Iam videndum est, num lectio vulgata revera inepta sit. Atque id quidem concedo, non bene coniungi „mola manibusque testatur deos"; et diversum mihi quoque videtur quod apud Plinium legitur „mola salsa supplicare" ab eo quod hic legimus „testari". Est vero etiam alia ratio verba coniungendi, ut ablativi coniungantur cum ipsa", id quod Wagnerus probare videtur, quum G. IV, 82 conferri iubet, ubi „ipsi insignibus alis" coniungi vult.

Hunc ablativi usum (quem recte habitum quendam significare dicit) Wagnerus etsi in ed. Heyn. ad h. l. illustravit, tamen pauca addam. Pertinet hic ablativus „mola" et quos Wagnerus attulit (IX, 815. VII, 187. XI, 711. XII, 306. III, 618) ad ablativum modi; cuius tamen usus quum latissime pateat, singula exempla inter se differunt. Quae vero a grammaticis varia ablativi genera distinguuntur (materiae, qualitatis, modi) quum ad unam notionem primitivam redeant, saepe ita alterum in alterum transeunt, ut difficile sit unumquodque exemplum certo generi tribuere. Si iam quaeramus, quaenam ablativi genera a Vergilio cum substantivis (vel pronominibus cf. VII, 187. G. IV, 82) coniungantur, primum*) satis notum

*) ut omittamus ablativum, qui originem indicat (ut X, 205: patre Benaco Mincius. XII 666: Eumelum Clytio patre. IV, 36 mariti Tyro.) et ablativum pro locativo usurpatum: VI, 187: ille aureus arbore ramus (IV, 26 umbras Erebo).

est, ablativum qualitatis quem vocant sic usurpari. Cf. G. IV, 82 ipsi insignibus alis (aliter haec Ribb. explicat) G. I, 317: fragili hordea culmo. Aen. I, 313: lato hastilia ferro. III, 538. V, 372 mille coloribus arcum. 372: Buten immani corpore. XII, 161: ingenti mole Latinus.

Deinde abl. materiae cum substantivis iungitur cf. III, 286: aere cavo clypeum. IX, 893, et vel ita, ut adiectivum non addatur II, 765: crateresque auro solidi. V, 663: pictas abiete costas. — III, 618: domus sanie dapibusque cruentis" non cum Ladewigio huc referam, sed potius ablativum qualitatis esse dixerim (maxime propter vocem „dapibus").

Ab ablativo qual. paullo differt abl. qui habitum significat. XII, 387: infracta harundine telum. Deinde quae gerimus corporis tegimenta vel arma, ablativo indicantur. XII, 123: variis exercitus armis. 280. pictis Arcades armis, cf. I, 90. Ablativus etiam de eis ponitur quae manibus tenemus, XI, 711: ense pedes nudo. VII, 187: ipse Quirinali lituo. Et de habitu partis alicuius corporis Aen. II, 358, IX, 627: aurata fronte iuvencum. Hunc vero ablativum nonnumquam ad ablativum, qui comitatus dicitur, accedere Wagnerus recte intellexit; cf. IX, 815: sese omnibus armis in fluvium dedit.

Ut iam ad eum de quo agitur locum redeam, cum Wagnero ablativis „mola manibusque piis" statuo habitum indicari Didonis iuxta altaria stantis. Et quum „manibus piis" conferri possit cum ablativo, qualis est Aen. II, 358: „faucibus siccis", „mola" ablativus est eiusmodi, quo id significetur, quod quis secum habeat (cf. VII, 284: talibus Aeneadae donis dictisque redeunt). Quum autem talis ablativus poni videatur ratione etiam habita verbi seu praedicati (cf. VII, 284. IX, 815) arcte coniungi velim „ipsa mola manibusque piis altaria iuxta" (= altaria iuxta stans*)). Itaque habitus Didonis molam gerentis et piis manibus ad aram accedentis describitur; ad eius habitum pertinet etiam versus proximus; tum demum versibus item duobus de invocatione deorum et precationibus agitur. Versum autem 486 his interponi etiam hac de causa non probo, quia de eis quae ad rem sacram parabantur et conquirebantur hic non agitur, sed supra inde a vs. 512.

Priusquam vero de hoc loco disserendi finem faciam, de testimoniis quibusdam veterum pauca adiiciam. In centone enim illo Vergiliano, de quo supra egimus, vs. 326 sq. coniungitur vs. 486 cum 517; quod quamquam sententiae Ribbeckii favere videtur, tamen si quae de centonis ratione disputavimus, conferas, inde nihil de ordine versuum concludi licere intelligas.

---

*) piis cum Serv. explico puris i. e. lavatis. „Pia" enim ea dicuntur, quae ad sacra pertinent. Cf. Serv. ad ecl. VIII, 82. Sic V, 744 farre pio. IV, 637 pia vitta. III, 42 pias manus. — Consentio igitur de toto loco cum Ladewigio, qui tamen de abl. accuratius non egit, cuius haec est annotatio: Das Opferschrot hielt die Dido in den Händen, um es später auf den Altar zu werfen (hoc probo), oder sie war selbst als eine, die sich dem Tode geweiht hatte, damit bestreut (hoc minus verisimile) manibus piis: „mit reinen, gewaschenen Händen".

Ceterum ne quis in ablativo mola nude posito offendat, quum in exemplis quae attuli adiectivum plerumque addatur, id eo excusatur, quod additur: manibusque piis; ut III, 617: domus sanie dapibusque cruentis. Si quis „piis" ad „molam" quoque referendum esse putet, ut intelligatur: mola pia et manibus piis, id minus placet.

Contra Valerium Flaccum verisimile est versum 486 eo loco positum invenisse, quo in codicibus extat scriptus. Duobus enim illi locis hic Vergili locus ante oculos fuit, ni fallor. Quorum unum iam supra attigi, I, 60 sq. dapibusque vocabat et dabat hesterno liventia mella veneno. Fortasse autem Valerius Fl., quia et ipsi papaver illud soporiferum displicebat, mel cum veneno mixtum Medeam draconi porrigentem facere maluit. Deinde VIII, 95 sq.: sacra ferens epulasque tibi; nec talis hianti mella dabam ac nostris nutribam fida venenis.*)

3.

Tertio loco Ribbeckius em. Verg. p. 14 sqq. de libri IX vs. 146 sq. egit, quos a Vergilio post vs. 72 positos fuisse suspicatur. Ut in codicibus collocati extant, inveniuntur in oratione Turni, qua (inde a vs. 128) suos prodigio turbatos bono animo esse iubet:

sed vos, o lecti, ferro quis scindere vallum
apparat et mecum invadit trepidantia castra?

Oratione sua Turnus hoc spectat, ut militum animos eadem, quam ipse habet, boni eventus fiducia compleat. Quare incipit: monstrum illud et prodigium (mutatae erant naves Troianorum in nympharum formam) Troianis perniciem portendere, quippe quibus spes erepta sit per mare fugiendi, terram autem a tot Italorum gentibus possessam ut expugnaturi sint, fieri non posse. Neque magis deorum illis responsis se terreri, quibus Troes tantum confidant. Satis esse Troianos terram fato promissam tetigisse. Praeter hoc nil a deis illis licere expectare, contra ipsi spem esse fore, ut gens ne priore quidem clade pie agere docta, quod iterum commiserit scelus luat victa ab Italis. Omnem illorum spem iam positam in castris; sed haec parvo adiumento fore eis, qui ne moenia quidem Troiae firmissima a deo aedificata defendere potuerint. Sic Turnus postquam demonstravit Troianis vel propter ea quae antea experti essent non magnam spem victoriae esse posse: pugnam promittit quae instet illis exitio fore. Et quum ad id quod iam faciendum sit accedit, electos suos appellat:

sed vos, o lecti, ferro quis scindere vallum
apparat et mecum invadit trepidantia castra?

Sic autem suos interrogans se certe castra invasurum esse indicat, simul se sperare significat sibi comites e lectorum numero non defuturos, et ita eos, ut se sequi velint, incitat (cf. vs. 51 ecquis erit, mecum, iuvenes, qui primus in hostem —). Summa igitur Turni fiducia (quae tota oratione conspicitur, cf. etiam vs. 126) inde apparet, quod vel cum paucis castra Teucrorum oppugnare paratus est. Eandem Turni fiduciam describunt etiam quae sequuntur. Eum enim se affirmat esse, cui non opus sit instrumentis quibus Graeci Troia potiti sint, neque armis divina ope factis neque tantis copiis, ne tum quidem, si omnes Etrusci Troianis auxilio veniant. Ut autem ipsi non multitudine militum confidant, ita se

*) Quod Ribbeckius h. l. draconem ipso papavere a Medea sopiri dicit: reverane hic de papavere nec potius de alio quodam medicamento cogitandum sit, dubitare licet. Verba enim Valerii vs. 84 „cunctaque Lethaei quassare silentia rami“ Verg. V, 854 sq. imitantur: „ecce deus ramum Lethaeo rore madentem — quassat“, ubi verus Lethaeus ros intelligendus est.

spernere etiam dolos et malas artes, quibus Graeci quondam usi sint. Palam se hostes igni ursuros esse. Sic illi sibi adversarios esse Graecis fortiores ut intelligant, futurum esse. — Hunc in modum Turnus postquam animos militum bona spe victoriae complevit, illo ipso die corpora curare et pugnam die insequenti expectare eos iubet.

Hic mihi sententiarum contextus esse videtur; iam videamus, quae Ribbeckio displicuerint. Ac primum quidem illi minus recte orationi videtur, qua pugnam milites omittere iubeantur, certandi cohortatio inseri. Sed quamquam Turnus pugnam in crastinum diem differendam esse dicit, tamen orationis summa est, ut milites pugnandi cupiditate, certe spe victoriae incendantur. Quare quum ille lectos suos adhortatus cum his se affirmet paratum esse castra invadere: haec ducis fiducia nonne multum valet ad militum animos erigendos?*) Quod deinde Ribbeckius imperatorem multo melius decuisse dicit, id quod se facturum esse confideret, his verbis solis profiteri „luce palam certum est igni circumdare muros“: sane his verbis Turnus, quod de pugna consilium ceperit, indicat; sed cur non simul se cum lectorum manu vallum scissurum promittere poterat? Ipse enim cum fortissimis suorum reliquis parare vult aditum portis effractis, ut apud Homerum (Il. *M*, 445 sqq.) Hectorem primum portas effringere videmus.

De reliquis quae Ribbeckio displicuerunt, post ea quae supra exposui non multa addi opus est. Videtur enim illi ipsa dicendi ratio modesta atque incerta. Qui enim interroget, quis sociorum rem gesturus sit, eum certe non omnes paratos fore confidere. Mihi contra summam videri fiduciam in eo cerni, quod vel cum paucis rem gerere paratus est, iam supra dixi. Scilicet non curat, quam multi se secuturi sint; neque se sequi vult nisi qui prorsus eadem audacia sit qua ipse. Noli vero hanc audaciam nimiam ducere; tanta enim Turno tribuitur revera ferocia. Quem videmus (inde a vs. 728), solus quum in castra hostium irruperit, ingentem stragem eorum edere; atque quod hic promittit quominus efficiat (ut claustra rumpat — vallum scindat) prohibetur nulla alia re quam nimio pugnandi ardore (757 sqq.) qui eum in adversos hostes agit. — Quae cum ita sint, Ladewigii coniectura „et quis — non parat?“ carere possumus.

At Macrobii testimonio Ribbeckius docet effici, versus 146 sq. post 72 collocandos esse. Is enim quum Sat. V, 9, 3 hos versus ex Il. *M*, 440 sq. desumptos esse tradat, fieri non potuisse, quin post vs. 72 collocatos invenerit. Apud Homerum autem haec leguntur:

ὄρνυσθ' ἱππόδαμοι Τρῶες, ῥήγνυσθε δὲ τεῖχος
Ἀργείων καὶ νηυσὶν ἐνίετε θεσπιδαὲς πῦρ.

Ut hoc loco Hector suos portas frangere navibusque ignem iniicere iubeat, sic versus, de quibus agitur, Vergilianos Turno tribuendos esse naves oppugnanti, ut sic legatur inde a vs 69:

classem ... invadit sociosque incendia poscit ovantis
atque manum pinu flagranti fervidus implet.

*) de pr[illegible]atim committendo hic non agi, intelligitur etiam ex voce „apparat“.

„sic vos, o lecti, ferro qui scindere vallum
apparat et mecum invadit trepidantia castra.“
tum vero incumbunt etc.

Haec quamvis Ribbeckii sententiae favere videantur, tamen nobis persuadere non potuerunt. Sic enim versus Vergilianos similiores esse loco Homerico etsi negare nolim, at in oratione Turni si positi fuerint, vix ullam a Macrobio similitudinem deprendi potuisse Ribbeckio non concesserim. Utroque enim loco imperator suos cohortatur (cohortandi rationem his locis diversam esse concedo), ut castra hostium aggrediantur; ex singulis autem respondet „ῥήγνυσθε τεῖχος“ illi „scindere vallum“. Neque similiores inter se alii loci sunt Homerici et Vergiliani, quos Macrobius comparat. Sic V, 8, 2 confert Aen. VII, 197 sqq. et Hom. Od. γ, 71, ubi utriusque loci sententia est: quid petentes per maria vecti huc advenistis? singula autem satis diversa sunt. Confert idem V, 8, 5 Il. *H*, 314 sq. 321:

τοῖσι δὲ βοῦν ἱέρευσεν ἄναξ ἀνδρῶν Ἀγαμέμνων
ἄρσενα πενταέτηρον ὑπερμενέϊ Κρονίωνι.
νώτοισιν δ' Αἴαντα διηνεκέεσσι γέραιρεν

et Aen. VIII, 182 sq.:

vescitur Aeneas simul et Troiana iuventus
perpetui tergo bovis et lustralibus extis.

ubi accurate inter se respondent haec tantum: νώτοισι διηνεκέεσσι et „perpetui tergo bovis“.

Denique quos locos Macrobius V, 5, 6 affert: Aen. II, 274: ei mihi qualis erat, quantum mutatus ab illo Hectore, qui redit exuvias indutus Achilli etc. et Il. X, 373 sq. ὦ πόποι, ἦ μάλα δὴ μαλακώτερος ἀμφαφάασθαι Ἕκτωρ, ἢ ὅτε νῆας ἐνέπρησεν πυρὶ κηλέῳ: in his et omnis rerum condicio et loquentium affectus valde inter se differunt.

Praeterea autem quominus Macrobium versus 146 sq. loco alio atque nunc extant invenisse statuamus, etiam illud obstat, quod collocati sunt inter libri IX versus 138 et 157 ex eadem Turni oratione desumptos. Macrobius autem V, cap. 4—10, quum locos singulorum Aeneidis librorum ex Homero sumptos affert, accurate servat versuum ordinem in enumerando.*)

Post versum autem 72 quicquam desiderari nemo erit qui dicat. Postquam enim Turnus taedam arripuit, eius exemplum imitati socii summa vi in castra impetum faciunt („urguet praesentia Turni“). Denique Ribbeckius ut versus 146 sq. hic inserere posset, pro sed scribere debuit sic, contra idem quod codices praebent qui servavit. Sed mutatione multo faciliore pro „qui scindere“ scribi „quis scindere“ quam „sic“ pro „sed“ patet. Secundum Ribbeckii autem rationem quum „qui“ significare statuendum sit id quod „quisquis“, quamquam ita recte dici negare non ausim, tamen loci similis non memini.

4.

Maiore brevitate uti licebit in tractando ultimo loco XII, 801 sq. Qui versus extant in oratione, qua Iuppiter Iunonem hortatur, ne frustra fato obstante Turnum adiuvare pergat.

*) Bis tantum is ordo servatus non est: IX, 435 capite 10 in fine totius enumerationis affert, fortasse quia eum versum antea suo loco afferre neglexerat. Deinde IV, 700 propter similitudinem sententiae cum V, 740 sq. coniunxit.

Hac oratione Ribbeckius Iovem existimat repraesentari coniugem acerbe castigantem, ut ab ea oratione alienae sint blanditiae, quae sane insunt verbis 801 sq.:

ni te tantus edat (edit) tacitam dolor et mihi curae
saepe tuo dulci tristes ex ore recursent.

Multo autem melius haec verba convenire alteri Iovis orationi, qua postquam Iuno se cedere fatis indicaverit, coniugis precibus se invicem obsecuturum promittat; quare versus illos recte post 832 poni:

verum age et inceptum frustra submitte furorem:
ni te etc.
do quod vis et me victusque volensque remitto.

Atque hic, quamquam quicquam desiderari nego, hoc versus collocari posse ut negem tantum abest, ut Ribbeckio assentiri non dubitarem, si illo ubi in codicibus extant loco ferri non posse constaret. Ne enim hos versus severae mariti castigationi adversari Ribbeckio concedam, impedior vs. 800: precibusque inflectere nostris. Unde videmus Iovem uxorem non solum castigare, sed etiam ut precibus inflectat operam dare. Vituperat sane vs. 793—799 pertinaciam, qua Iuno Turno auxilium ferat, quippe quae indigna sit dea, non inscia, quae sit fati voluntas. Simul his omnia quae Iuno moliatur frustra suscipi docet. Iam ab ea precatur, ut tandem aliquando eam mentem exuat, ne etiam in posterum et se ipsa tacita dolore tanto cruciet („id quod tum fiebat" Wagn.) et sibi, coniugi, saepe querelae audiendae sint. Quibus addit: Vide, quo iam res deducta sit, quotiens tu quot mala in Teucros conferre potueris: sed haec te assecutam esse satis habeas: ulterius tentare veto. — Itaque versus 800—802 sunt precantis. Verbis autem „ne — recursent" Iuppiter se indicat a coniuge, ut Troianis irasci desinat, precari miserantem ipsius; docet enim, quanto ipsi melius futurum sit iram comprimere. Quum autem addit „et mihi curae — recursent", veretur quidem, ne molestia afficiatur querelis uxoris saepe repetitis, sed verba ita comparata sunt, ut ipsum quoque ex uxoris curis dolorem capturum esse significet. Verbis „dulci ex ore" blanditiae sane continentur; quibus tamen quid est cur uti non potuerit qui mulierem precibus inflectere velit? Atque qui mulieri persuadere studet, nonne callide ita agit? Neque enim Iuppiter id agit, ut severa quadam castigatione coniugem, ne quid praeterea moliatur, deterreat, sed ut ei persuadeat, frustra se fato obniti. Quae postea autem addit etsi eis satis graviter uxorem „ulterius temptare" vetat, tamen cum enumeret, quae illi in perniciem Troianorum struere licuerit, facilius Iunonis animum placatum iri sperat, quippe quae se meminerit partem certe eorum quae appetiverit assecutam esse et partem certe irae in Troianos effundere potuisse. — Ex his intelligitur mihi esse non videri, cur a codicum lectione ne (vel ni) edat (vel edit forma antiquiore) recedamus. Editores enim vulgo nec scripserunt. Atque particula ne servata, faciliorem explicationem habet particula et (et mihi curae), quae minus apte posita videri debet, si, id quod vulgo fit, nec scribamus (ut enunciatum cohortationem exprimat). Hac enim de re prorsus consentio cum Ribbeckio, qui de ratione vulgata: „falsissimum", inquit, „erat et, quoniam non simul et taciti dolere et verbis conqueri possumus nec excitant semper tacitae curae verborum questus. Hac enim sola ratione defendi posse copulativae particulae in sententiis negativis usum intellego, eodemque redeunt exempla

a Wagnero in quaest. Verg. XXXVI, 8 adlata praeter nostrum omnia.“ Contra idem p. 18 (ea enim etiam ad nostram rationem conveniunt): „hic enim (si ne vel ni scribatur) et illud tolerari potest, quoniam pariter veretur Iuppiter et ne tacita se ipsa dolore maceret et ne easdem aegritudinis suae cantilenas ... ad fastidium usque sibi offundat.“ (Fortasse quis et ita explicandum censeat, ut arctius verba „et mihi — recursent“ coniungenda sint cum prioribus et ut „dulce os“ significare statuatur vultum Iunonis. Sic altero membro imago exprimeretur tacite dolentis, in cuius vultu curae tristes appareant. Sed tali explicationi verba ipsa „ex ore recursent“ ne prorsus adversentur, vereor. Et Iuppiter uxorem eam esse haud ignorabat, quae non semper dolorem comprimere posset.)

De his locis hactenus. De quibus quae disputavi, si recte habent, quod Ribbeckius extremo libello de archetypi codicum *PRMF*γ exemplo coniecit, id non iam habet, quo nitatur.

Quod autem ad eam ratiocinationem attinet, quam Ribb. p. 19 instituit, unum in hac deprendi errorem. Namque ut concedamus IV, 486 et IV, 548 sq. in falsum locum devenisse, haec tamen duorum locorum transpositio non in eodem libro — id quod Ribb. censet — fieri potuit. Dicit enim inter IV, 485 et 517 versus intercedere XXXII, qui quatuor paginis ita distribui possint, ut incipiente prima a vs. 487 in ultima post vs. 517 sequatur 486 (hunc in modum: I. 487—494. II. 495—502. III. 503—510. IV. 511—517. 486). Deinde versibus 419—547 dicit sedecim paginas effici omisso vs. 528, qui in codd. deest, et in marginem reiectis 548 sq.*), paginam autem LII libri IV exiisse in vs. 418 (omissis vss. 126, 178), paginam LXVIII in vs. 547. Haec inter se non conveniunt. Si enim pagina aliqua (secundum Ribb. pagina LII) incipiat a vs. 419, sive vs. 548 sq. in marginem reiiciuntur, sive non reiiciuntur, fieri non potest, ut ulla pagina libri a vs. 487 incipiat aut ullius paginae versus ultimus sit 486. En versus illos paginis secedim ex Ribb. ratione distributos:

I. 548 sq. in marg. 419—426. II. 427—434. III. 435—442. IV. 443—450. V. 451—458. VI. 459—466. VII. 467—474. VIII. 475—482. IX. 483—485. 487—491. X. 492—499. XI. 500—507. XII. 508—515. XIII. 516—517. 486. 518—522. XIV. 523—531 (om. vs. 528). XV. 532—539. XVI. 540—547.

Sic videmus nullam paginam aut a vs. 487 incipere aut in vs. 486 post 517 positum exire.

---

*) Quod Ribb. p. 19 dicit: „et si in marginem reiecti erant 548 sq. et 486, sedecim inde paginae erant usque ad vs. 547“, ipse, ni fallor, scribere voluit nil nisi „548 sq.“ De versu enim 486 modo ipse aliter iudicaverat; neque nisi is versus non in margine positus fuerit, sedecim paginas vs. 419—547 effici posse ex eis quae proposui facile perspicias.

---

p. 12 l. 13 „rursus“ alterum del. — p. 14 l. 25 lege „metro“. — p. 16 not. l. 4 le[illegible] „aut“.

a Wagnero in quaest. Verg.
(ea enim etiam ad nostram
illud tolerari potest, quoniam
ne easdem aegritudinis suae
et ita explicandum censeat
prioribus et ut „dulce os“
exprimeretur tacite dolentis
verba ipsa „ex ore recu
esse haud ignorabat, quae

De his locis hacte
extremo libello de
nitatur.

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 095 836 6